



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 48. Sessio IV. & ultima.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](#)

§. XLVIII.

Sæcul. XV.
A.C. 1429.

Quarta & ultima Sessio.

Die sequenti quinta Novembbris habitâ est Sessio quarta ac ultima. Legebantur præprimis patentes literæ a Rege Arragoniæ impetratæ, in quibus conditiones pacti sui continebantur sequenti tenore: Volumus I. Nec non juramus, quod dein non apponemus manus ad jura Cameræ Apostolicæ, neque edicta contra libertatem Ecclesiasticam faciemus, aut aliquid de bonis Ecclesiæ universalis, vel particularis recipiemus, vel recipi permittemus in terris & ditionibus nostris, nisi in casibus a jure communi, sive patriæ permissis. Secunda & tertia regis Epistola universis Magistratis suis, atque Officialibus sub magnis ac formidabilibus pœnis inhibet crimen quocunque Clericis falso imponere, illos indebet incarcерare, ac libertatem & immunitatem Ecclesiasticam infringere. Quarta Rex eandem rem inhibet cunctis Baronibus suis. Quinta prohibet Vicecancelario, & omnibus Consiliariis suis, ne processus contra invasores Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum debite inceptos quoquo modo impedianc, seu perturbent. Sexta perstringit Clericos & Ecclesiasticos Viros, qui fraudulenter ad evitandum de commissis dignam punitionem, & ut maneant de suis

O o 2 crimi-

Sæcul. XV. criminibus impuniti, literas familiaritatis
 A.C. 1429. Regiae obtinuerunt vel obtinebunt. Septima
 Rex omnibus Baronibus, atque subditis suis
 præcipit, ut Ecclesiasticis judicibus ad proces-
 sus suos contra usurarios, & ad exequen-
 das pias voluntates testantium, & ad vi-
 sitationes suas faciendas assistant, & auxi-
 lium præbeant. Octava, cunctis Guberna-
 toribus, & iustitiis sæcularibus regnum
 suorum mandat, ne permittant quoscunque
 quæstores uti officio quæstorum, vel illud
 exercere, nisi secum deferant testimoniales
 literas Diœcesani Episcopi. Quibus præle-
 ctis, alia viginti recitabantur decreta, seu
 articuli iussu Concilii in secunda sessione
 conditi de vita & honestate Clericorum;
 de qualitatibus eorum, qui ad Beneficia
 eligendi sunt; de prohibitione Clericis
 facta, ne vestes certis coloribus tinctas,
 aliasque status Ecclesiastici modestiæ pa-
 rum congruas deferant. Præterea actum
 est de damnando concubinatu; de laicis
 instruendis; de Neophytis, quibus injun-
 ctum, ut excurrente octiduo infantes suos
 sacro fonte abluedos deferre compel-
 lantur. Statutum quoque de negli-
 gentia Prælatorum regularium in coer-
 cendis suis Religiosis; de Clericis & Re-
 ligiosis sine Episcoporum licentia exomo-
 loges excipientibus. De Prælatis de-
 functorum bona occupantibus. Cautum
 quoque, ne corporum medici ullum infir-
 mum

mum ultra tertiam vicem visitare præsu- Sæcul. XV.
mant, de quo non sciant, quod in illa ægri- A.C. 1429.
tudine pœnitentiæ sacramentum suscepit.

Denique innovata est Bulla Clementina contra Judæos, ac Saracenos.

Legatus, valetudine sua semper in pe-
jus declinante, ac insuper pestilentia Der-
tusæ ingravescente, sub finem anni quas-
dam beneficiorum provisiones expedivit,
Et pace inter Episcopum, & cives armis
etiam inter se collisos Orgelii composita,
necnon absoluta tam gloriose Legatione
sua Concilium dissolvit, & omnibus ibi
præsentibus Indulgentias plenarias, atque
omnium suorum peccatorum veniam in
articulo mortis concessit.

§. XLIX.

Concilium Parisiense.

Hoc anno Joannes de Nanton Seno-
nensium Archiepiscopus Lutetiæ Pa-
risiorum apud Cistercienses aliud Conci-
lium congregavit, cui omnes Provinciæ
Episcopi interfuerant, id ipsum etiam caufsa
erat, quod a nonnullis Senonensis appelle-
laretur Synodus. Ex Prælatis aderant
Carnutensis, Parisiensis, Meldensis, &
Trecensis Episcopi, ac Antissiodorensis, &
Nivernensis Episcoporum Procuratores,
Aurelianensis Præfus absentiæ suæ excu-
sationem interposuit. Confluxerunt quo-

Labb. Conc.
to. 12. p. 292.

O o 3 que